

NVMMVS DICATVS MEMORIÆ
 CVM TRIVMPHALI, STATVVM
 Vnitarum Provinciarum Belgij: cusi partim, Legatis Cæ-
 sareis petentibus, ut pacem cum Hispano ineant:
 partim, Oppidis aliquot in potestatem suam
 redactis: Anno Christi

1591.



Rudolphus II. Imp. ac Princeps pacis amantissimus, in parte curarum suarum haud infimâ posuerat, quo pacto Belgicas Provincias cum Rege suo reconciliaret: unde, quam Anno 1578. compositionem, sed conatu irritò susceperat, cum bono Deo rursus tentandam esse putavit. Sub finem itaque Anni superioris Legatos in Holandiam miserat, qui mentem suam Ordinibus declararent, eosq; ad pacem, tranquillitatem, nec non restitutionem munitiorum, in Imperio occupatarum, hortarentur. Ordines postquam audissent Legatos, multa, quo ad restitutionem munitiorum, in medium adferunt: hostibus se eas suis & quidem impensis non exiguis ademisses: facere ad defensionem sui: neque Hispanum, quæ in Imperio tenet, relicturum. Tandem tamen spem aliquam faciunt, se eas aut Imperio, aut legitimis Dominis restituros. Insuper Cæsaream Majestatem se rogare, ne deinceps frustraneo labore defatigare sese velit. Pacem se habere: aliam cum Hispano inire, Reipublicæ non fore salutare. Neque se de pace agere salvo honore, salvâq; conscientia posse, nisi fortè & vicinis, & amicis omnibus fabula esse velint.

Vulgus